

225
Bryson Library,
Teachers College,
New York.

Ann. XIII.

- XIV

ROMAE, Mense Ianuario MCMX - XI

Num. I.

VOX VRBIS.

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

CONDIDIT ARISTIDES LEONORI EQUES
POSSIDET ATQUE ADMINISTRAT SOCIETAS ROMANA EDITRIX

Pretium annuae subnotationis, est:

In Italia: Libellarum **6**

ubique extra Italiam: Lib. **9** (Doll. **1,80**; Sch. **7**; M. **7**; Rubl. **4**; Coron. **9**)

ante solvendum et recto tramite mittendum

ad SOCIETATEM EDITRICEM ROMANAM

ROMA - Via delle Coppelle, 35 - ROMA

SUBNOTATIO EXTRA ITALIAM FIERI POTEST:

IN RUSSIA

apud
Gebethner et Wolf

Varsaviae Polonorum
Rakewskie Przedmiescie, 15

IN ANGLIA

apud
"Kronika Rodzinna"

Varsaviae Polonorum
Krakowskie Przedmiescie, 6.

apud

Burns and Oates

London W.
28, Orchard Street.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Montreal
1699, Rue Notre-Dame

“CORRIERE D’ITALIA,,

879,5
V988
13-14
1910-11

Diarium Romanum negotia pertractans quae ad res civiles,
religionem, commercia spectant.

Catholicorum diariorum omnium in Italia maxime diffusum.

Notitias quotidie sibi proprias accipit tum ex Italia, pro
cuius provinciis peculiares, quotidie pariter, vulgat
editiones, tum e praecipuis civitatibus orbis universi.

Premium annuae subnotationis est :

In Italia lib. 15; apud exteris gentes lib. 30.

Subnotatio cumulativa cum commentario VOX URBIS :

In Italia libel. 18; ubique extra Italiam lib. 34,50.

**Subnotationes mittantur
ad SOCIETATEM ROMANAM EDITRICEM**

ROMA — Via delle Coppelle 35, — ROMA



VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Sociis et lectoribus Vox Urbis commentarii humanissimis.
Philosophicae disputationes. — Modernistam inter et Thomistam de actus voluntarii dependenti erga actum rationis.
De Tulliano sermone in usu latine scribendi.
De re litteraria apud Subalpinos. — De eloquentia sacra.
Sebastianus martyr in bonis artibus.
Rheginæ post annum ruinae.
Paroemiae sive adagia. — Diomedis et Glauci permutatio.
Acta Pontificia.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.
Diarium Vaticanum. - Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones.
Annales. — De publicarum rerum vicissitudine anno MCMIX.
Per orbem.
Librorum recensio.
Aenigmata.
Monita.

Sociis et lectoribus commentarii VOX URBIS humanissimis

Opus nobis assumentes, quod abhinc annos tredecim vir egregius Romano semine ortus, Romano quidem ausu aggressus est, atque invicta constantia, magno sumptu, indefesso labore tot annos indesinenter est prosequutus, dum rei pondus sentimus, non alienum tamen a nobis invenimus. Qui enim societatem inivimus, ut Italicam regionem ephemeride ditaremus, quae ab Alpibus ad Africum mare civium animos uno animo, dissociatas vires uno agmine colligeret, quod Christiana iura eademque humanitatis ab invadentibus undique oppressoribus vindicaret; brevi autem tempore, imo praeter ipsas cogitationes nostras, eam imposito nomini *Corriere d'Italia* apprime iam respondisse vidimus, oblatam invitationem reiiceremus, collectis viribus, operam nostram per totum orbem sermone illo conferendi, quem, olim universum, per Catholicam Ecclesiam unum et hodie, quibusvis nisibus frustra contraria molientibus, nisi loquuntur, certe culti omnes populi intelligunt? Atqui latinum hunc sermonem ad exprimenda omnia aptum et conformatum *Vox Urbis* commentarii conditor et scriptores iam satis ostenderunt; restat, ut eius studium et usus, ablatis undique praeiudicatis opinionibus, latius latiusque diffundantur, magis magisque in dies augescant; ut denique formam illam eximiam, quam uti propositum prae oculis nunquam non tot clarissimi viri habuerunt, tandem aliquando assequamur: ut doctorum saltem virorum omnium gentium latinum eloquium commune fiat. *Hoc opus, hic labor!*

*

Quae itaque ad obtainenda, quum voluntatem et opes nostras conferimus, potius quam eos in nostram societatem adiungamus, nos in bene meritorum illorum societatem, qui tam diligenter in tanta tamque nobili re operam impenderunt, nos, inquam, accedimus. Nobiscum enim manebit Aristides Leonori, commentarii conditor; manebit primasque aget qui ipsis fere ab incunabulis rem est mo-

deratus, dr. Iosephus ille Fornarius, quem e nobis nonnulli non sine iucundo ac suavi animi motu hodie salutamus, quippe qui etiamtum a pueris non excedentes, in ludis litterarum eius discipuli, universa ea latinitatis humanitate imbuti sumus, ad quam hodie tributum solvere gaudemus. Manebunt Franciscus Xaverius Reuss poeta exquisitus, et Ioannes Baptista Francesia, Subalpinorum scholae omnibus laudibus abundantis clarus et foecundus superstes, et Goritianus ille doctor, latinorum scriptorum Austriacae civitatis Nestor, cuius verecundia — in hoc sane iniqua — a nobis repetit ne eximii viri nomen aperiremus; ceterique omnes, qui usque ad haec tempora in rem incubuerunt; quibus alii accident, qui nobis promissionē sese obligarunt, praesertim ut de philosophicis ac theologicis quaestioni- bus, tantum hodie agitatis, firmo ac tuto gressu sint in nostris paginis tractaturi.

Praesertim diximus; *Vocis Urbis* enim eadem semper summa erit scripta edendi, «quae populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones, a nunciis et significationibus ad simplices et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latine inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentium exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus, laude quidem amplissima dignis, conferant; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas in S. Congregationibus inductas; haec omnia ut quisque vel ex dissitis regionibus, vel cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus, alter ab altero difformis per commentarium hunc explere desideria sua possit».

Qui quidem commentarius inter Kalendas et Idus cuiusque mensis prodibit; dumque in animo est bis in mense eum iterum edere, supplebimus interim, si eventus maxime peculiaris momenti occurrerint, extraordinariis fasciculis, quum tamen *subnotationis pretium immutatum omnino permaneat; quod est in Italia libell. sex; ubique extra Italiam libell. novem* (Doll. 1,80; Sch. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9). Quod si quis Italicum etiam nostrae Societatis diarium *Corriere d'Italia* sibi cupiat, cuius pretium annuae subnotationis est in Italia libell. 15, extra Italiam lib. 30; aut eius subnotator iam extiterit, *Vocem Urbis dimidiato pretio habere poterit.*

*

Quibus positis, vos, o socii et lectores humanissimi, ut fideles nobis persistatis non solum confidimus, at pro certo habemus incoptum amplissimum in dies magis vestro opere foecundatueros. Ut enim *Vox Urbis* optatis plane respondeat, sitque apprime «radiationis centrum quod animos usque a remotissimis orbis partibus amice cum Romae almae matris animo coniungere valeat», necesse est vos quoque ad eam scripta vulganda mittatis tum locorum vestrorum noticias, tum animi vestri firmum testimonium afferentia. Tirones praecipue apud collegia et seminaria in litteras et bonas artes incumbentes invitamus, iisque et sociis omnibus *singularia praemia* constituimus, sub anni exitum assignanda, *trium numismatum argenteorum* ex iis, quae Pontifex Maximus quotannis in festo Apostolorum Principis cudi iubet, Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae curiae, aulicisque pontificiis distribuenda. Quorum unum collegio, aut seminario, aut scholae illi

tribuetur, unde plurima soluta oratione scripta cuiuslibet argumenti publicatione digna ad nos per annum pervenerint; reliqua duo sociis illis, quorum scripta pariter per annum in commentario vulgata, a doctorum virorum collegio, quod in proximo numero enunciabimus, máxime fuerint commendata.



Haec pro *Vox Urbis* commentario in annum MCMX edicimus; haec ut perficiantur, in vestra praesertim manu est, o socii et lectores humanissimi.

SOCIETAS ROMANA EDITRIX.

PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES

Modernistam inter et Thomistam de actus voluntarii dependentia erga actum rationis.

MODERNISTA. — Id mihi periucundum advenit, amice inter omnes charissime, quod te obviam hic habeam. Me etenim deprehendis lectioni voluminis recentius vulgati, tibi sane non ignoti neque etiam probandi, intentum, in quo id singularissimum comprobare nititur auctor, primatum omnem inter facultates humanas appetitui rationabili seu voluntati competere, ceteras autem omnes, imprimisque intellectum, ipsi eidem subesse, quin distinctionem solitam, quam vos Thomistae infertis, inferat, motionem inter, quae est per modum finis, qua intellectus voluntatem movet, et eam quae est per modum agentis, qua voluntas intellectum impellit ad actum.

Quam confusionem et indistinctionem philosophis passim antiquis, quorum tu te asseclam profiteris, comprobari non potuisse mihi satis patet. Non nihil tamen negotii id mihi facessit quod pluribus hodiernis, iisdemque doctis, imo et vetustioribus nonnullis, non haereticis modo, sed et orthodoxis doctoribus aetatis mediae, arridere compertum sit praedictam « modernistarum », quos vocant, sententiam quorum nonnulli, acerrimi ingenii quidem, eamdem et suam faciunt, et tuentur et propalant.

THOMISTA. — Quare igitur, amice dilectissime, quum id certum teneas me huiusmodi doctrinis peregrinis assentiri nullatenus posse, eo quod tum ratione mea philosophica, eademque serio inquirenti, tum Summi Pontificis vetito prohibeatur, id gratum habes quod tibi occurram legenti et eibenti modernistarum sententias?

M. — Id gratum habeo, quia tu sententiam communem tuam fecisti, egregieque calles, unde non minus egregie eamdem tu mihi, homini fidei bo-

nae, enucleabis, ita ut alteram cum altera doctrina conferre penitus clarusque mihi in promptu sit, iudiciumque proprium efformare de hisce arduis sane argumentis: ego siquidem discipulus inquiero, nullus autem magister doceo.

T. — Quam libentissime igitur pro posse tuis intentis faciam satis. At vero quum quaestio illa de primatu rationis et intellectus supra voluntatem, actusque proinde rationis supra actum voluntatis, qualem profitentur et propugnant plerumque Aristotelis discipuli, imo et philosophi Christiani, complexa sit et ambitu multiplex, hinc apprime in partes suas distribuenda erit, teque demum rogo ut argumentum colloquii sponte proponas.

M. — Sit ergo pro ratione tua voluntas. Quum igitur id in volumine isto, non sine vehementi admiratione legerem, nempe vetus veterum et vulgarissimum axioma « Nihil volitum, nisi praecognitum », et quod idem est, « Ignoti nulla cupido » non ubique et semper retinendum esse ut verum: quin potius voluntatem plerumque velle id quod minime ratio praecognoverit et eidem praemonstraverit, proindeque omnia primum e voluntate pendere, hinc a te rescire velim quid assertis istiusmodi responderem tibi videatur et occurrat.

T. — Id utique fatendum est, axioma praedictum apud antiquos paucissimos non minus quam apud hodiernos quosdam negatum vel in dubium revocatum ex parte saltem fuisse.

M. — Ita prorsus! Neque immerito! Siquidem prophetae, quibus et nos credimus, videntur voluisse et optasse, imo et odio damnasse, vel ex desiderio praenuntiasse, quae tamen nullimode nota prius habuerunt.

Haud secus amor Dei extaticus, seraphicus, seu perfectissimus, in Deum tendere absque ulla praevia cognitione, et quidem per tenebras densissimas, videtur. Quod ceterum confitentur, et explicatius profitentur nonnulli aetatis mediae theologi, imo et doctores.

Neque haereticorum, quales Montanistae et Quietistae fuerunt, auctoritates referam, etsi non ea omnia quae tenent haeretici, extemplo ut falsa reprobanda sint.

T. — Axioma tamen omnino retinendum est, et quidem ut verissimum.

Et primo sane, ut rationes a te significatas statim amoveam, falsum oppido reputatur prophetas ea intendisse et prophetasse, quae nullimode cognoscerent, nisi velis omnes assimilandos esse asiniae Balaam, quae tamen actum humanum, de quo agimus, nullatenus elicuit. Etsi enim concedatur, res a prophetis praenuntiatas in sua extensione forsan, ubi imprimis ageretur de mysteriis futuris, incomplete perspectas fuisse, nullatenus tamen concedendum est incognitas remansisse, siquidem ex ipsorum eloquiis patet ipsos id intellexisse in suis sermonibus quod et nos intelligimus, Deo imprimis ipsorum intellectum fusius illuminante et scribenda dictante.

Neque illi mystici doctores aetatis mediae, si qui reapse inter catholicos extiterint, secus sentiebant, quum assererent amorem perfectissimum per tenebras et mysticas ignorantias procedere, siquidem mystica illa ignorantia, quam invexit, descripsit ac vulgavit Pseudo Dionysius, nihil aliud est quam Dei cognitione per negationem dicta, qua in Deo negantur omnes creaturarum imperfectiones et limitationes, quaeque nedum ignorantiam supponat ac significet, altiorem e contra Dei cognitionem subaudit, Deum videlicet tantum esse cui nullae insint, neque inesse possint imperfectiones et perfectionum limitationes, talesque inesse perfectiones quae creaturis vel nullimode, vel non nisi imperfectissimo modo competant.

De Montanistarum, Quietistarum et similium auctoritate nihil occurrit reponendum, siquidem auctoritas illa nulla prorsus est, neque validiores sunt eorum allatae rationes.

M. — Quid tamen sentiendum de amore extatico, quo, ut aiunt, homo « extra se » ponitur, nempe extra propriam rationem, proprium intellectus actum, unde nullae videntur subesse cognitionis partes ?

T. — Falsa consequentia, amice charissime ! Homo extaticus « extra se » poni dicitur, non quod extra cognitionem quamlibet seponatur, sed quod extra modum connaturalem cognitionis intellectualis seu rationalis, aut etiam sensitivae.

Si vero asseratur usum rationis in proposito non esse liberum, hinc sequetur forsan amorem exinde ortum non esse liberum, non tamen coecum.

Imo quo melius colliguntur potentiae subordina-

tae ad eumdem actum potentiae nobilioris, eo perfectius ista in actu proprio iuvabitur, saltem indirecte perfectiorque proinde asserenda erit cognitione eamque subsequutus amor.

M. — Quae omnia penitus intelligo, neque parum exinde nutare videntur adversariorum argumenta. Id tamen subobscurum mihi remanet, quare voluntas hominis in se et natura propria in bonum nata et acta, in bonum ex se ferri nequeat, imprimisque in summum bonum, scilicet Deum, absque alieno rationis concursu, imo primatu.

T. — Voluntas sane in se bona est et in bonum acta. Nullus inter nos id inficiabitur. Neque tamen inde collendum est ipsam in bonum proprium immediate, id est absque rationis mediante illuminatione, seu in bonum incognitum, ferri: fertur omnino in bonum, sed in bonum connaturale, ratione scilicet cognitum, quum istud homini qua homini, qui animal rationale optime passim definitur et audit, solum congruere posse pateat, si ratione cognitum primo fuerit, ut quid nempe vel bonum seu conveniens appareat rationi, proindeque contrarium seu malum ut quid disconveniens.

Ea est intrinseca ratio cur omnes plerumque doctores ab Aristotele ad nos usque veterem teneant ac foveant sententiam, utpote naturae humanae, eidemque immutabili sibique constanti maxime congruam.

Si qui hodiecum, Kantiani nuncupati, aliter sentiant, id evenit ex infantili nonnulla superbia, qua Kantius sese ut alterum Copernicum, et quidem altero maiorem, iactavit, imo et locum Aristotelis maiori profunditate, ait, occupare nisus fuit ut ipsemet innata vel ingenuitate vel fatuitate confessus est, indeque ut nos, quod solemnius promiserat, perspicaciores faceret, obiectum scientiae nostrae negando, coecos fecit. Ubi autem nonnullus Kantianus fuerit qui tantae fatuitatis fastigium non ascenderit, doctrinas tamen praedictas tenuerit, is sane sibi fingit progressum, quem dicunt, cui omnes inhiare debemus, non nisi in evolutione perpetua et totali rerum et scientiarum consistere, ita ut non amplius quis investiget vetera utrum sint vera necne, quibus, si vera sint, addenda forsan nonnulla forent vera, sed ad nova quaecumque quas « a priori » sese praecipitem det, ubi praesertim a philosophia et religione christiana recedant, eique, si diis placeat, contradicant.

His adde nonnullos scientiae sacrae tirones, forsanque nonnullos nomine christianos, his doctrinis promptius adhaerere, quia hinc studium inutile

prorsus evadit, ubi scientiae humanae obiectum vel nullum vel dubium remanet: quod ipsis in studiis non secus ac in ipsa fide, socordiae propriae emolumenut videtur.

M. — Sed tamen omnes illi doctores cui eorumque sequaces, etsi asserant necessitatem cognitionis praeviae ad actum voluntatis, absolutam necessitatem minime innuunt et metaphysicam, sed tantum hypotheticam aut communem: unde ex ipsorum dictis non nisi vel subdubia vel imminuta consequentia elici poterit.

T. — Id asserti oppido falsum et erroneum dicendum est.

Ipsi namque absolutam absolute sententiam suam, nullatenus autem hypothetice hypotheticam proferunt: unde ipsum terminis et dictis standum prorsus est, neque id iuris nobis competit ut illud ipsum nomine tradamus hypothetice, quod iidem ipso absolute tradiderunt.

Quinimo ratio quam propriae sententiae fulcierdae causa afferunt, absoluta prorsus est, neque exceptionem aut patitur aut pati potest.

Quae idcirco sic se habet, nempe appetitum naturale inter et vitalem elicitum haec intercedit diversitas, quod ille quidem in bonum proprium tendit absque praevia cognitione, iste autem, sive sensitivus sit, sive intellectivus, in bonum suum ut cognitum fertur. Quia vero actus intellectivi appetitus, seu voluntatis, est quid vitale, et obiectum est bonum ratione cognitum, implicat autem potentiam tendere in obiectum non suum, seu in aliud quam in obiectum proprium, repugnat, iuxta praefatorum sententiam, voluntatem in bonum non cognitum sponte ferri.

Inde etiam colligitur in angelis, quin etiam et in ipso Deo, voluntatem dari quia in ipsis datur bonum cognitum.

Inde rursus passim colligunt doctores Deum non posse appetitum intellectivum seu voluntatem movere in bonum non cognitum, siquidem appetitus ille eo ipso non possit amplius dici intellectivus, ubi defuerit actus intellectus.

Hinc iterum eruitur bonum vel malum cuique tribendum esse ut meritorium vel secus, ea ratione qua praedit actus intellectivus, ita ut ille neque laudetur neque vituperetur qui nihil in agendo praecognoverit.

Hinc denique, omnibus patentibus, cessat voluntas, cessante cognitionis actu, et e converso quo perfectior fuerit intellectus actus, eo vehementior voluntatis adhaesio vel repugnantia.

M. — Nonne tamen sufficiet cognitionis habitualis,

qui requiratur actualis, ad actum voluntatis elicendum?

T. — Minime cognitionis illa mere habitualis sufficiente ad actum voluntarium dicenda est, siquidem obiectum voluntatis non fit eidem voluntati praesens nisi per cognitionem actualem, licet tamen non requiratur cognitionis distincta ad qualemcumque voluntatis actum.

Id ceterum quotidiana patet experientia, quum nullus velit actu id de quo non cogitat actu, saltem indistincta cogitatione, ut si quis aliqua confusa cognitione valeat iter prosequi quod distincta cognitione ingressus est.

Neque sat erit quod bonum in rerum natura reipsa existat ut voluntas in idem sese ferat, sed requiritur omnino ut appetitui vitali et eliciti coniungatur, quod fit per cognitionem.

M. — Sed iam « sat prata biberunt ». Neque tamen omnibus titulis soluta remanet quaestio: quapropter iterum tibi et alias alia dubia tibi solvenda afferre in propositis habeo.

Nunc tibi gratias ago maximas, teque valere ex animo iubeo.

I. I. B.

De Tulliano sermone in usu latine scribendi

*Ille multum se profecisse sciat,
cui Cicero valde placebit.*

QUINTILIANUS.

Quum multa a Tullio dicta praecclare, tum maxime quod scribit de libris pulcherrimum mihi videtur. Quemadmodum quum in sole ambulamus, etiamsi ob aliud ambulemus, fit tamen natura ut coloremur, ita doctorum libros studiosius, ut Dantis, Vergilii, legentes, licet non percipiamus, sentimus nostram quoque orationem quasi colorari.

Quamquam enim rei exprimendae vel pertractandae magister est suus cuique animus et intima vita, omnis tamen loquendi scribendique elegantia sumitur legendis optimis auctoribus: quo fit ut rei sapienter cogitatae et alte perceptae egregia forma adhaereat. Itaque, qui optimum latine dicendi genus assequi studet, exemplaria quaedam sibi proponat necesse est, e quibus discere possit quid latine, quid ornate, quid apte congruenterque dicere sit; quae omnia qui melius est assequutus, quam Tullius, a quo sermo elegans omnis sumi potest? Concinnitatem, elegantiam, simplicitatem, numerum,

et alia eiusdem generis unde melius didiceris quam ex optimo latinitatis auctore?

Neque ita videamur latinae coarctare facundiae fines. Sit sane Tullianus vocabulorum index pars latinitatis minima: ad studium autem latinitatis grammaticus, seu philologus, aliter sese habet ac latinus scriptor, cuius est tectum sartumque ius artis servare. Praeterea, aut aliud quemvis latinum auctorem vel aetatem imitanda suscipiemus, aut undique collata membra ex omni aetate quasi in acervum congeremus. Si prius, videbimus quidem rem praestare admiratione dignam; sed non optimam secutis rationem scribendi illud aptari poterit:

Video meliora proboque, deteriora sequor.

Quis enim ignorat tertiam latini eloquii aetatem summa praesertim in Cicerone attigisse? Aut quem latet, quavis de arte quaeratur, de absoluta et perfecta quaeri solere? Latinus scriptor a cognitione universae latinitatis ne abhorreat, sed in ea, quasi in ornatu, sit usus Tulliani sermonis dispositus, quo melius intellegatur eius praestantia, a quo et exempla petenda, et certae sermonis elegantioris regulae.

Quod si, quidquid romana lingua exaratum est, quasi bonam suppellestilem congesserimus, novum inauditum, ac sine artifici stilo conficiemus sermonem ab Horatiano monstro parum dissimilem, et a lingua latina maxime abhorrentem, quae non arbitrio effingenda est, sed qualis exstat, referenda.

Ergo, si seligendorum rationem verborum, atque integritatem et elegantiam latinae orationis assequi voluerimus, auctore Tullio maxime utamur.

MARIUS CARDINALI.



DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

DE ELOQUENTIA SACRA

Si nova aetas multos tulit errores, in iis praesertim quae ad rem publicam christiana sapientia regendam pertinent, haud pauci inter nos adstiterunt, qui nova quadam dicendi ratione innixi, securi et praeter omnium opinionem voce atque egregiis operibus editis laborantem ecclesiam adseruerunt.

Hi enim, Deo devoti, quum animum sanctis cogitationibus exercerent, et toti essent in enucleanda Christi doctrina, haud poenitendum sibi temporis iacturam facere videbantur, quod in stilo recte figendo insumpsissent, quo melius ad animorum dilectum

per aurium delectationem pervenirent. Quapropter venustae et concinnae orationis studiosi, elegans atque politissimum scribendi genus plerumque usurabant. Quin imo, suffragante Carolo Alberto rege, ad Supergam, qui mons est ad orientem Augustae Taurinorum, in cuius summo vertice templum dedicatum hodieque testatur insignem victoriam a Subalpinis de Gallis relatam VII die mens. Sept. an. MDCCVI, ad provehendam sacrorum alumnorum disciplinam ephebeum apertum est, in quo lectissimi adolescentes ex unaquaque regni sui dioecesi, elegantioris ingenii atque virtutum praestantia clariores tuto et sine ulla offensione publice alerentur. Ut hi adolescentes pulcri sensui magis in dies assuescerent, atque ad maximorum doctorum consuetudinem moremque deducerentur, adhibebantur nobilissimi doctores, sub quorum disciplina, maximum inde doctrinae segetem hauriebant, quam postea cum civibus communicarent.

Iuvabit in memoriam nostram Willielmum Audisio revocare, cui munus demandatum, ut, praelarissimorum oratorum exemplo, sacram eloquentiam alumnos suos doceret, quo in munere obeundo, se ita navum atque industrium egit, ut clarum nomen consequeretur. Namque minime contempsit tamquam parva quae prius sunt discenda studia, quasi perfectos alloqueretur, omni alia genere doctrinae relicto, summam tantummodo eloquentiae manum imponeret. Ipse vero acuto ingenio praeditus et multo rerum usu subactus, praecepta quae vel minima ad eloquentiam spectantia miro ordine atque verissimis coloribus ad suos auditores referebat, quaeque insigni congesta eruditione compluribus voluminibus in vulgus edidit.

Eius scribendi ratio in universum grandior est, elegans, pura, venusta, fluens aequabiliter; quae doctis adprobaretur atque indoctis. Ex eius disciplina complures sanctissimi exempli sacerdotes exierunt, qui gentem nostram pietate excoluere atque sapientia: alii quoque ingenio clariores ac religione ad altiora ecclesiae munera fuerunt evecti. Inter optimos hominis discipulos eosdemque clarissimos suae aetatis scriptores posuerim Iacobum Margotti, domo S. Romulo apud Ligures, qui Paulum verborum fortitudine ac celeritate referens, et aurea eloquentia ac sententiarum fluiditate, Ioannem Chrysostomum, ingenio atque studio rem christianam suis temporibus mirum in modum ac subdolum labefactam defendit atque a calumniantibus insigniter adseruit.

Hic cum sancto Hieronymo prae ceteris esset componendus, qui, per triginta et amplius annos

quotidie acerrimus catholicae professionis vindex, neque instantis necis periculo exterritus, non paucorum prava audentium vafritiam timuit, nec inconditae multitudinis clamores expavit, sed aequo animo firmoque a voluntate Pontificis Max. nunquam dissensit, eumque italicae dignitatis et incolumentis adsertorem libero ore est professus atque defendit.

Ephemerides, queis ex *Unitate Catholica* nomen adhaesit, primum scriptitavit atque strenue rexit, ut Christianorum nomen ab adversariorum factionibus acerrime vindicaret. Pie decessit pridie Id. Mai. an. MDCCCLXXXVI.

Multi quoque apud nos exstiterunt, qui vel ipso saeculo decimo nono labente, in sacra eloquentia honorem sibi haud mediocrem compararunt. In quibus adnumerandus est Ioseph Tonso dominicianus, qui patrum memoria, pacatis Europae rebus, Augustae Taurinorum coram rege sacer orator fuit, atque eloquentis nomen acquisivit per ieunium quadragesimale.

Sed paulo post adstitit I. B. Giordano Taurinensis, qui primas facile retulit inter sacros suae aetatis oratores. Hic acre ingenium ab adolescentia studio theologiae sic dedit, ut penitiora disciplinae pervaderet. Suavissimis moribus, pectore candidus, vix sacerdotio auctus, amplissimis muneribus naviter et sancte perfunctus, ac benigno alloquio ita omnium animos vel in familiari consuetudine sibi devinxit, ut per civium ora atque advenarum viator pervolaret. Quum primum ad populum oravit, magnus ad eum hominum concursus fiebat, ut alii pietatem, cuncti flexanimam eloquentiam admirarentur. Inter canonicos adlectus quibus est nomen *a Corpore Domini*, opem suam ingeniumque erga egenos, infirmos adhibuit. Sic pietate, doctrina, integritate vitae bonis omnibus commendabat. Sed adversa usus valetudine, vacatione ab omnibus muneribus impetrata, ad umbratilem vitam se contulit.

At vix convaluit, totum se ad eloquentiam collendam confidentissime convertit. Incredibile dictu est quot brevi retulit fructus. Augusta Taurinorum semel atque iterum celebris huius filii eiusdemque sanctissimi orationes admirata, nunquam ab eius ore discedere fastidiose videbatur. Egregium eloquentiae praemium Bononiae, Mediolani, Neapoli obtinuit; atque vel ex humili suggestu, divino animarum actus desiderio, vel per ieunium quadragenarium, vel aliud tempus, audientium mentes tenebat pectusque pervadere consuevit. Dolendum sane quod antiquo iterum morbo implicitus, vix

quinquagenarius, flebilis omnibus, placido spiritu occubuit.

Eius opera, plurimis voluminibus congesta et nunc doctorum manibus teruntur.

Huic est equidem addendus Aloisius Nasi Taurinensis, pietate et modestia insignis. Sic eius vestigia est sequutus, sic morem quoque dicendi arripere visus est, ut fratres identidem appellarentur, et si ille Basilius quandoque videbatur, hic Gregorius Nazianzenus, vel ob fluiditatem sermonis vel pectoris mansuetudinem. Dei amorem, religionis studium, ecclesiae muneribus posthabitis, cum perpetua in egenos liberalitate coniunxit. Aeterna spectans, vis ingravescente morbo, ne amicorum desiderio plus aequo obsisteret, edi passus est sacras quadragesimales orationes. Quas affabre confectas et suavitate quadam animi candoris spectandas, cunctis etiam nunc lectoribus admirantibus, facile laudaveris.

SUBALPINUS.

SEBASTIANUS MARTYR IN BONIS ARTIBUS

Sebastiani, Christi martyris, gloria passio tandem populorum studium semper et ubique commovit, ut perpaucis ex universo sanctorum agmine simile aliquid contigisse videamus. Cuius rei causas si quaesieris, varias eas quidem et multas procul dubio invenies; praecipuas, et viri incorruptam vitam eiusque castrensem virtutem. Quamvis enim tribunus insigni forma praestaret summaque iuventa, inter imperialis tamen domus blandicias et corruptelas integer semper et castus vixit: simul vero strenue militare officium inter praetorias cohortes exercebat, tantaque fide, ut Diocletiano Augusto semper carissimus fuerit; cui tamen vix atque innotuit christianae religioni eum esse addictum, huiusmodi crimen adeo grave apparuit, ut nec diuturna quidem stipendia ullam reo veniam impetraverint. Insano enim delendae Fidei nostrae furore praereptus, iussit eum Caesar in vincula coniici; mox Cappadociis militibus lentissima morte necandum tradidit. Cuius certaminis actio praeclara nullum per aevum inter Christianam plebem commemorari desivit; imagines autem quae tantum facinus effingerent nulla pariter aetate cultu frequentissimo caruere.


*
**

Itaque tum ipsa lentissimae necis ferocia, tum martyris virtus, tum denique populorum fidelis

pietas artificum animos passim moverunt, ut qua maxima peritia essent, Sebastiani martyrium coloribus aut marmore effingerent. Huiusmodi operum celebratissima quaeque christianarum gentium in templis aut pinacothecis summa religione asservantur.

Horum vero operum quum pleraque inspexeris, causam frustra quaeres cur praeclaris artificibus summo iuventutis flore pulcherrimum, imberbem, cincinnatum, flavum, Sebastianum fingere passim placuerit, tribunum militum; quod grave sane munus tam immatura aetatis nemini committebatur. Con-

ea profecto pulcherrima est, quam Guercinius depinxit ac modo Florentina regia pinacotheca custodit, quaeque genuflexum iuvenem, oculis in caelum elatis, sagittasque, martyrii symbolum, Deo offerentem exhibit. Ibidem vero non desunt aliae quoque martyris imagines a pictoribus celeberrimis depictae, quas inter et Sodomae et Pollaioli; quemadmodum asservant et Perusina civitas, et Mediolanensis et Romana haec nostra, quae in Capitolio Guidonis Reni tabulam illam custodit notissimam, passim apud omnes populos reproductam.



S. Sebastiani statua a Berninio insculpta. (Photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

tra, antiquissima martyris imago, musivo opere expressa, eum barbatum et a pueris iam excessum repraesentat; barbatumque etiam, quamquam iuvenem, insculpsit Berninius in perfectissimo illo signo, quod sub ara ipsi in suburbano templo dicata posuit.

Neque Dominicus Zampieri, pictor eximus, secus gessit, tabulam fingens, quae in templo Urbano S. Mariae ab Angelis nuncupato asservatur, cuiusque musivum exemplar super altero ex altaribus Vaticanae Basilicae venerandum prostat.

Inter pulcherrimas autem tabulas, quae iuvenili aetate summa florentem martyrem praeseferunt,

Verum, uti diximus, si paucos excipias, unus idemque fuit pictoribus aut sculptoribus singulis fingendi martyris modus, una consuetudo; ea nimurum, quae tribunum praefert arbori adligatum, iuvenem admodum, membris pulcherrimis, confixis hinc inde sagittis, cuius tamen in vultu acerbi cruciatus nullum fere vestigium appetet, sed quae-dam inest beata serenitas, et prope laetitia caelestis, veluti ac si quis, ipsa inter tormenta caedis, divinis perfrui gaudiis iam videatur.

I. ANTONELLI,

RHEGINAE POST ANNUM RUINAE

Amplissimo viro Pascali Aldinio,
studiorum curatori, Rhegii Iulii.

*Omnia strata iacent, desertaque litora ponti
Squalent, et nudo luget arator agro.*

*A Calabris Siculos potuit seiungere montes
Aspera vis olim: nunc ruit illa domos.*

*Urbes ingentem vicique dedere ruinam,
Infremuit rabie per vada Scylla truci.*

*Non resonant dulci viridaria carmine blanda,
Fugerunt nymphae; tristis Erynnis adest.*

*Non fulget calabris antris Morgania Fata;
Turbatum furiis horret adire fretum.*

*Spectantur tumuli, praeruptaque tecta domorum:
Infelix sparso sanguine terra rubet.*

*Iam dilapsa iacent sine nomine corpora multa,
Multaque sub foreis gaza sepulta iacet.*

*Heu! cires lugent, et tristia funera ducunt;
Pupilli matrem nocte dieque vocant.*

*Agmina densa stipem coguntur quaerere passim;
Hinc alio migrant agricolae miseri.*

*Eversas miramus opes, ac tempula scholarum
Diruta, dum puerum turba tenella vacat.*

*Caedis inassuetos oculos nunc pascit inani
Prospectu puer, et luctibus obruitur.*

*Nunc age, Curator Studiorum, coge magistros;
Iam pateant pueris ostia sacra scholae.*

*Afflictos recreant animos bona verba magistri;
Rebus in adversis corda pusilla vigent.*

*Heu! iuvenes, calabriae perierunt robora pubis;
Grandia praeruptus contegit ossa lapis.*

*Rara quidem superest pubes, spes una parentum.
Custodes doceant, quidquid adest puerum.*

*Agmina, clare Pater, patriae puerilia serva:
Te duce, florescit Graecia Magna scholis.*

Radicenae in Calabris.

FRANCISCUS SOFIA-ALESSIO.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Diomedis et Glauci permutatio.

Quae refertur apud Homerum Diomedis et Glauci permutatio, in proverbium abiit, quoties inaequalem commutationem significamus, hoc est, deteriora pro melioribus reddit, aurea pro aereis. Nam libro



S. Sebastiani antiquissima imago ex musivo opere.

Iliados sexto, poeta Glaucum quempiam inducit, Hippolochi filium, Lyciorum ducem, iactantiusculum et ostentatorem magis quam pugnacem; contra, Diomedem vafrum callidumque. Duo hi congreidunt singuli certamine inter se dimicaturi. At Glaucus, rogatus a Diomede, quisnam hominum aut deorum esset, longa oratione natalium suorum seriem exposuit, patriam Lyciam, civitatem Ephyn-

ram indicavit. Mox Diomedes, utpote Graecus, hominis barbari stuporem ex orationis arrogantia intelligens, illudendum magis ratus quam occidendum, respondit suis maioribus cum illius progenitoribus vetus hospitium ac necessitudinem intercessisse, muneraque hospitalia, quae xenia vocant, inter ipsos ultro citroque data. Iamque defixa humilancea, coepit hortari, ut omissa pugna maiorum suorum amicitiam inter ipsos renovarent, alterque alteri in Lycia, alter in Argo hospitem praestaret,



Dominici Zampieri tabula martyrum S. Sebastiani eiffingens.
(Photographice expresserunt Fr. ALINARI, Florentiae).

simul atque incolumes in patriam redissent. Interim, si quando forte fortuna occurrisse, armis invicem abstinerent, inter se dumtaxat religionem hospitii custodientes, in reliquos nihilo minus iure belli usuri. - Tu, ne id videamur, - inquit - prodiciones magis quam hospitii observantiam facere, arma inter nos permutemus, quo reliquus exercitus intelligat, nos maiorum necessitudine devinctos esse. Quibus dictis, uterque ex equo desiliit, datis dextris ac fide pacta, veluti foedus quoddam hospitii san-

xerunt, permutatis armis, sed admodum inaequalibus:

*Iupiter hic stupidum spoliavit pectore Glaucum
Qui cum Tydide mutarit protinus arma, et
Aurea donavit, sibi redditu aerea, centum.
Bobus emenda daret demens, pro vilibus, atque
Quae vix esse novem dicas redimenda iuvencis.*

Usurpatum est adagium passim a laudatissimis auctoribus. Plato in *Phaedro* faciens Socratem Alcibiadi suo more respondentem, quod lucri cupidus formam corporis forma mentis meliore commutare vellet: « Et cum his - ait - quae vere aurea sunt, aereis commutare cogitat ». Quamquam interpres pro aureis vertit « aurichalcum ». Item Aristoteles, (*V Moralia*, libro de Iustitia): « Qui vero dat sua, quemadmodum Diomedi arma sua dedit Glaucus, ut dicit Homerus... » etc. - Plutarchus, adversus Stoicos scribens, eleganter hoc torquet, ut dicat non admodum iniquam fuisse permutationem Glauci, propterea quod arma ferrea non minus usui sint pugnaturis quam aurea; sed qui corporis valetudinem anteponit honesto, aut virtutem relinquit ob bonam corporis valetudinem, is vere permutat aurea aeneis. - Cicero in *Epistolis ad Atticum* (libro VI): « Habes ad omnia non, ut postulasti, aurea aeneis, sed paria paribus respondimus ». Utrumque proverbium esse significat Cicero: « Par pari » de aequali pensatione; « aurea aeneis » de inaequali commutatione. - Plinius iunior in *Epistolae ad Flaccum*: « Respiciens epistolas steriles et sempli citer ingratas, ac ne illam quidem solertia Diomedis in permutando munere imitantes ». A. Gellius (*Noctium Acticarum* lib. II) Caecilianam translationem cum ipso Menandro, quem vertet, componens atque expendens, ostendensque quantum a Graecanica venustate degeneret: « Diomedis - inquit - hercle arma, et Glauci, non dispari magis pretio aestimata sunt ». - Fit denique huius adagii mentio etiam in prooemio *Pandectarum iuris Caesarei* hisce verbis: « Nostris temporibus talis legum inventa est permutatio, quam apud Homerum, patrem omnis virtutis, Glaucus et Diomedes inter se faciunt dissimilia permutantes. Nam ille significat pro relictis inutilibus ac fastidiis voluminibus, recepta tum meliora, tum breviora, hoc est permutationem factam vehementer inaequalem. Ergo conveniet uti, quoties officium aut munus longe impari munere pensatur, aut contra. Aut quoties aliquis rem pecuniariam auxit, sed dispendio famae; magistratum assequutus est, sed iactura bonae mentis; lautam fortunam repe rit, sed amisit animi tranquillitatem ».

FORFEX.

ACTA PONTIFICIA

Per Apostolicas litteras d. XXVI mens. Iulii MCMIX, sodalitas ab Infante Iesu Bethlehem erecta apud Fratres Scholarum Christianarum, archisodalitas renunciata est cum facultate aggregandi.

— Per Apostolicas pariter litteras dat. d. XXXI mens. Iul. MCMIX Confraternitas Immaculatae Conceptionis ac Defunctorum in dioecesi Nuscani titulo « archisodalitatis ad honorem » decorata est.

— Item, sub d. XII mens. Augusti MCMIX, Institutis religiosis Parisiensi, Versaliensi et Tолосано Ancillarum Mariae indulgentiae ad septennium concessae sunt, atque datum « ut in singulis oratoriis supradictarum dictae congregationis piarum domorum, unicum altare, vel si plura exstant, maius, apostolico Missarum privilegio ita polleat, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cuiuslibet Ordinis regularis Missam pro anima cuiuscumque ex predictis Sororibus ibidem celebraverit, idem Sacrum ei piandae animae, pro qua celebratum fuerit, perinde suffragetur ac si foret ad privilegiatum altare rite litatum. »

— Item sub d. XVII mens. Augusti MCMIX, cathedralē templum Constantinopolitanum, Spiritui Sancto dicatum, a Pio PP. IX iam pro Vicariis apostolicis cathedralis titulo ornatum; et sub d. XXIII eiusd. mens. Bonaërente templum B. Mariae Virginis a Rosario, ad basilicae minoris dignitatem erecta sunt.

— Item, sub d. VIII mens. Septembribus MCMIX, novae Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci constitutiones approbatae et confirmatae sunt.


— Item sub d. XVII mens. Septembr. MCMIX, « inspecto prospero statu reique catholicae incremento » Praefectura Apostolica *Delta Nili* appellata, missionariis concredita Societatis Lugdunensis Missionum ad Afros, in Vicariatum Apostolicum erecta est.

— Item, sub d. VII mens. Octobris. MCMIX, indulgentiae perpetuae concessae piis sodalitatibus sub titulo « Missionis Invenum, puellarum et patrum matrumque familiarum » in dioecesi Gurcensi erectis vel erigendis.

— Per Apostolicas litteras d. XXII mens. Novembr. MCMIX datas instauratur Pisis, in seminario diocesano, theologica facultas, et archiepiscopo pro

tempore ius conferendi doctorales laureas et academicos gradus in sacra theologia traditur.

— Motu proprio d. xv mens. Decembr. MCMIX, Institutum filiorum Sacrae Familiae unitur et incorporatur congregationi Clericorum regularium, vulgo Theatinorum, ita ut Bonaventura Mullol, eiusdem Instituti praepositus, eiusque Consultores generales universosque ipsius Instituti sodales deinceps sint veri legitimique filii S. Patris Caietani, veri legitimique alumni congregationis clericorum regularium vulgo Theatinorum, cum omnibus iuri-



S. Sebastianus a Guercinio pictus.

(Photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

bus et privilegiis iisdem Clericis regularibus a S. Sede concessis et concedendis. Iosephus autem S. R. E. Cardinalis Vives, hactenus Instituti Sacrae Familiae protector, universae Clericorum regularium Theatinorum congregationi praeficitur, facta eidem potestate, ut Pontificia auctoritate, instaurationi et reformationi eiusdem congregationis ad nutum Sanctissimi, etiam in futurum providere possit, cum opportunis et necessariis facultatibus.



EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

De abstinentia a carnibus in pervigilio Annuntiationis B. M. V. occurrente in feriam V in Coena Domini.

— Quum festum Annuntiationis B. M. V. hoc anno MCMX occurrat in feriam IV in Parasceve atque transferatur etiam cum feriatione in feriam II post Dominicam in Albis tamquam in sedem propriam, quae situm est utrum servanda sit lex abstinentiae a carnibus in pervigilio occurrenti in feriam V in Coena Domini, vel transferenda esset. Sacra Concilii Congregatio respondit affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

De onere certiorandi episcopum de legatis ad pias causas.

— Omnes, sive sacerdotes sive laici, quorum fidei concreta sunt legata ad pias causas, tenentur de hoc quamprimum certiorem reddere Episcopum, qui ius habet vigilandi super administrationem et consulendi securitati eorundem legatorum (Ex deer. d. ix mens. Augusti MCMIX).

Ex Congregatione Concistoriali.

De competentia Sacrae Congregationis Concilii super confraternitates et pias uniones post Constitutionem « Sapienti consilio ».

— Competentia super confraternitates a Constitutione *Sapienti consilio* tributa sacrae Congregationi Concilii se extendit quoque ad confraternitates et pias uniones quae dependent ab Ordinibus et congregationibus religiosis, vel creatae sunt in eorum ecclesiis seu domibus. (Ex deer. d. x mens. Decembr. MCMIX).

De competentia sacrae Congregationis de Propaganda Fide super nonnullas Societas Missionum.

— S. Congregatio de Propaganda Fide etiam post Constitutionem *Sapienti consilio* suam iurisdictionem exercere debet super societas, sive Lugdunensem pro missionibus ad Afros, sive Parisiensem pro missionibus ad exteris gentes, nec non super seminarium Mediolanense S. Caloceri, seu Institutum Mediolanense pro exteris missionibus, denique super pontificium seminarium SS. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe ad exteris missiones, praesertim quoad ea quae respiciunt eorum regulas, administrationem, atque oportunas concessiones ad sacram alumnorum ordinacionem requisitas. (Ex deer. d. x mens. Decembr. MCMIX).

Ex Congregatione de Religiosis.

De studiis complendis a votorum tum solemnium tum simplicium professis, antequam ad sacros Ordines admittantur.

In articulo sexto decreti *Auctis admodum*, editi a sa. me. Leone XIII d. iv mens. Novembr. MDCCXCIII, inter alia, haec statuuntur: « Professi tum votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per trien-

nium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ». Porro circa genuinum sensum huius articuli, varia dubia sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae exhibita sunt, quibus in capita reductis responsum est prout sequitur:

I. Utrum Superiores Ordinum vel Institutorum religiosorum praefatas testimoniales litteras licite dare, et Ordinarii seu Episcopi licite acceptare possint, si anni de quibus agitur non fuerint completi, seu non vere academicie vereque scholares, sed potius abbreviati, non quidem ex incuria, sed quia vel omissae fuerunt vacationes, vel horae lectionibus in schola tradendis multiplicatae, veb alia quacumque de causa? — *Resp.* Negative in omnibus; et quaelibet abbreviatio studiorum abusiva omnino habenda est, et penitus illicita.

II. Utrum studentes, expleto unius, duorum vel trium respective annorum curriculo theologico, possint statim ad subdiaconatum vel diaconatum vel presbyteratum item respective promoveri, ideoque inceptis vacationibus, in fine anni scholastici dari solitis, quin circulum duodecim mensium completere teneantur? — *Resp.* Affirmative, dummodo tamen complexus trium huiusmodi annorum saltem triginta tres menses integros comprehendat.

III. Utrum iidem studentes, triennio theologico rite completo, teneantur adhuc per alium annum, seu per quartum annum scholasticum, theologici studii in scholis incumbere? — *Resp.* Affirmative, ideoque complexus quadriennii theologici, computatis vacationibus seu feriis, quadraginta quinque menses integros comprehendere necesse est.

IV. Utrum verba eiusdem decreti *Auctis admodum* « praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo » respiciant tantum philosophica seu lycaealia studia, vel etiam gymnasialia seu humaniorum etiam institutionem? — *Resp.* Respiciunt et philosophica seu lycaealia, et humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria studia. Ideoque haud legalia habenda sunt theologica studia, si alumnus cursum philosophicum seu lycaealem rite non expleverit; neque legalia erunt philosophica seu lycaealia studia, si alumnus humaniorum litterarum seu gymnasiale curriculum minime compleverit; neque valorem habebit humaniorum litterarum seu gymnasiale studium, si alumnus per primariam institutionem rite habitam minime praeparatus fuerit. Porro ad legitimum transitum de scholis primariis ad gymnasiales, de gymnasialibus ad lycaeales, de lycaealibus ad theologicas, requiritur testimonium de bene superato periculo seu examine, a moderatoribus respectivarum scholarum in forma authentica obtentum; quod si gravi aliqua de causa haberit nequeat, suppleri potest per speciale examen, coram peritis magistris subeundum ante transitum ad superiore gradum, seu scholam.

V. Utrum studia philosophica seu lycaealia, humaniorum litterarum, seu gymnasialia, et primaria necessario ante ingressum in novitiatum ex integro peragi debeant? — *Resp.* Negative quoad studia philosophica seu lycaealia; affirmative quoad primaria et gymnasialia seu humaniorum litterarum. In casibus tamen speciabilibus, accedentibus gravibus causis, permitte potest, ut ad novitiatum inter clericos admittatur, qui annum

quartum gymnasialem seu humaniorum litterarum rite expleverit, dummodo; *a)* decimum quintum aetatis annum excesserit; *b)* statim post noviciatum, et antequam ad studium philosophicum seu lycaeale adsecedat, integrum curriculum omnium studiorum humaniorum litterarum seu gymnasialium in scholis domesticis vel aliis rite ordinatis compleat; *c)* et finale periculum bene supereret. Quod si agatur de ingressu in noviciatum anno quarto non expleto, recurrentum ad Sanctam Sedem.

VI. Utrum praefata studia, non publice in scholis rite ordinatis, sed privatum peracta, valorem habeant legalem, seu qui sufficiat ad licite dandas et licite acceptandas litteras testimoniales ad sacros Ordines? — *Resp.* Negative. In casibus tamen extraordinariis, qui respiciunt particularem aliquem alumnum tantum, qui diligenter studiis incubuit, et in periculo seu examine idoneus inventus fuerit, recurrentum ad sacram Congregationem pro convalidatione, exhibita iurata fide examinatorum, et de tempore transacto in studio privatim peracto et de bene superato periculo; nisi res sit, non de omnibus disciplinis unius anni scholaris, sed de una tantum vel altera disciplina accessoria, gravi de causa a particulari aliquo alunno privatim exulta; tunc enim, praehabita iurata fide examinatorum, ut supra, convalidatio dari poterit a Superiore generali, accidente voto deliberativo sui Consilii.

VII. Utrum ad valorem legalem studiorum theologicorum, philosophorum seu lycaealium, et humaniorum litterarum seu gymnasialium sufficiat disciplinae principalis seu theologiae, philosophiae et linguae latinae peritia, vel potius requiratur, ut in unaquaque schola tradantur etiam disciplinae accessoriae, iuxta normam in bene ordinatis seminariis regionis vigentem et saltem in substantialibus servandam? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

VIII. Utrum et quanam ratione in litteris testimonialibus ad sacros Ordines authentice constare debeat de peractis ex integro, tum curriculo seu curriculis theologicis, tum philosophicis seu lycaealibus et humaniorum litterarum seu gymnasialibus studiis, ut praefatae litterae licite dari possint a Superioribus, et licite acceptari ab Ordinariis seu Episcopis? — *Resp.* Superioris in litteris testimonialibus, expressis verbis, sequentia declarare debent et testari: *1º quoad curriculum theologicum*, candidatum a tali anno, mense et die, ad talem usque annum, mensem et diem, et in tali schola studiis theologicis ad sacrum Ordinem, ad quem praesentatur, necessariis rite incubuisse, et in finali periculo seu examine idoneum inventum fuisse; *2º quoad inferiora studia, eidem curriculo praemittenda*: *a)* eundem candidatum, rite peractis primariae institutionis studiis, humaniorum litterarum studia in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, ex integro explevisse, bene superato finali periculo; *b)* praefatum candidatum, recte expletis humaniorum litterarum studiis, philosophicum curriculum ex integro in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, complevisse, et finale periculum auspiceato superavisse. (Ex deer. d. vii mens. Septembr. MCMIX).

De quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis.

— Nullimode, absque speciali venia Sedis Apostolicae, et sub poena nullitatis professionis excipientur, sive ad noviciatum sive ad emissionem votorum postulantes:

1.^o qui e collegiis etiam laicis ob dishonestos mores vel ob alia crimina expulsi fuerint;

2.^o qui a seminariis et collegiis ecclesiasticis vel religiosis quacumque ratione dimissi fuerint;

3.^o qui, sive ut professi sive ut novitii, ab alio Ordine vel congregatione religiosa dimissi fuerint; vel, si professi, dispensationem votorum obtinuerint;

4.^o qui iam admissi, sive ut professi sive ut novitii, in unam provinciam alicuius Ordinis vel congregationis et ab ea dimissi, in eamdem vel in aliam eiusdem Ordinis vel congregationis provinciam recipi nitantur. (Ex deer. d. vii mens. Septembr. MCMIX).

De religiosis Missionariis de « Marianhill ».

— Religiosi Missionarii de « Marianhill », ab Ordine Cisterciensium reformatorum absolute divisi, specialem Congregationem deinceps constituent. (Ex deer. d. ii mens. Febr. MCMIX, vulg. d. xx Dec. eiusd. an.).

Ex Congregatione Rituum.

De consecratione ecclesiae « coemento armato » constructae.

— Ecclesia constructa vel construenda ex materia quae *coementum armatum* nuncupatur, consecrari valet, adhibita forma ac ritu Pontificalis Romani, dummodo duodecim crucium loca, et postes ianuae principalis, sint ex lapide. (Ex deer. d. xii mens. Novembbris MCMIX).

DIARIUM VATICANUM

(Die xxi mens. Novembr. — d. xxxi mens. Decembr. MCMIX)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneri gratia Pontificem de more adire, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Pontificium Bohemorum Collegium, quod nuper vigesimum quintum annum expletum est; catholicarum mulierum in Italia supremum consilium; Nicolaus Szecsen de Temerin dynasta, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; De Ritter de Grunstein dynasta, Bavarorum minister cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; exemplus vir Perez Caballero, exterarum rerum in Hispania minister; Pontificiorum equitum ab ense et chlamyde collegium, aulicique omnes omnia et dona offertentes ob expletum feliciter a SSmo xxv Episcopatus annum; catholicorum nautarum manus ex Anglicula classi; tirones e Collegio Urbano de Propaganda Fide; De Bulow princeps eiusque uxor; Pontificium Urbanum Collegium ex Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis; collegium doctorum apud scholas Pontificii Seminarii Romani; Laelius Orsini, princeps Urbanus; Pontificii Collegi Gallici alumni; pueri ad quadringentorum numerum parentibus orbati ob terrae motum illum, qui die xxviii mens. Decembr. an. MCMVIII Calabras Siculasque terras diruit, a Pontificia munificentia

Romae atque in suburbano alti; Sacer Purpuratorum Se-natus legatiique omnes ex exteris nationibus omina offerentes tum ob episcopale Pontificis iubilaeum tum in novum annum; Urbanum Scotorum Collegium; Lampert eques tor-quatus, Friburgensis athenaei doctor; supremum Meliten-sium equitum consilium.

Pontificiae electiones.

Iacobus Anesagasti, metropolitanae Guadalasarensis ecclesiae canonicus, episcopus Campecoren.; et Iosephus Gusman, metropolitanae ecclesiae De Durango canonicus, episcopus Civitatis Victoriae seu Tamaulipan., renunciantur.

— Exemus. vir Ioannes Starika, episcopus Leaden., ad ecclesiam tit. Antipadriden. transfertur.

— R. v. Franciscus Cherubini alter a secretis Sacrae Congregationis Religiosorum dicitur.

— Exemus. vir Hernestus Dubois, episcopus Virdunen, ad metropolitanam ecclesiam Bituricensem promovetur.

— R. p. Fallon e Congregatione Oblatorum Mariae Immaculatae episcopus Londonen.; et r. p. O' Reilly, rector S. Antonii in urbe Minneapoli, episcopus Fargen. dicuntur.

— Exemus. vir Franciscus Nagl, episcopus Tergestin. et Iustinopolitan., coadiutor deputatur cum iure succedendi Emi. Card. Antonii Iosephi Gruscha, archiepiscopi Vindobonensis.



ANNALES

De publicarum rerum vicissitudine

anno MDCCCCIX

Consideranti sedulo atque repetenti publicas tum Europeanum gentium tum reliqui orbis vicissitudines quae elapso anno contigerunt, facillime fore puto ut earum summa duas veluti in partes distincta appareat; quarum altera eventus complectatur ab anni ortu usque ad ver exactum, — graves eos quidem, et inquietos et minis multiplicibus densos; — altera, quae a veris limine ad anni usque obitum, planiores sane et pacificos magis ubique gentium.

Vix enim inito anno Balcanicae res adeo sunt perturbatae, ut Serbos inter et Austros gravissimum bellum prope initum metuerimus. Attamen Austrorum auctoritas valuit adeo, ut Bosniacae terrae adnexio iusta tutaque apud ceteras quoque gentes, frustra querentibus Serbis, habita sit. Nec ullus fuit qui Austros alia dare praemia coegerit, nisi quae Turcis aut Nigri Montis incolis ipsi sponte tradiderint. Tum Bulgari inopino ausu Ferdinandum principem suum regis titulo auxerunt, qui sese igitur a reliqua omni Byzantini regis auctoritate indemnem atque solutum proclamavit. Non levis inde Turcarum furor exarsit: qui quum impotes sese ad oppugnandos Bulgaros, occulto Austrorum auxilio confisos viderint, contra Graecos tamen si-

milia Creta in insula audentes fortissime restitere. Optabant illi, capta temporis opportunitate, genti suae insulam palam addicere. Quamobrem Turcae prope ad arma confugere, atque parum abfuit quin novum bellum contra finitimos Helladis populos resumerent.

Tantae aemulationi ceterarum gentium, maxime vero Germanorum Gallorumque, intercessio finem imposuit; quae suam auctoritatem interposuere, ut a bellicis consiliis utrumque populum cohíberent, Annus vero iam ad finem perrexit, quum nondum Cretensis illa disceptatio resoluta videatur.

*
* *

Altera tamen anni pars, huiusmodi contentiones si dempseris, tranquilla satis pace diffuxit. Praeterquamquod Mauritaní imperii in oris breve idque felix admodum ab Iberis bellum peractum est, ut inlatas sibi iniurias ulciserentur. Nihilominus in ultimo oriente Iaponiorum, Sinensium, atque Russorum odia crebro renascentia Coreanae regionis pacem variis ausibus perturbarunt; quos inter atrocissima fuit Ito, ducis fortissimi atque sapientissimi, caedes, sicarii manu perpetrata. Inde vero Pacifici maris orae dum Iaponii persulcant in dies magis instructi, Australianae terrae civitates tanto periculo parare medelas feruntur. Quae igitur pacto foedere unam eamdemque esse sibi rempublicam constituerunt, unam classem, exercitum unum, atque lata lege iusserunt portus et sinus fretaque muniri quantocius, ne aut Iaponiorum aut Americanorum incursibus facilis praeda relinquenterentur. Evidem Panamensis isthmus nunciatur fore ut brevi praecidatur; unde Americanis nautis hinc et inde facilis aditus universae classi cogendae patebit. Quumque eorum in ditionem Philippinae insulae iamdiu venerint, non leves inde sive Iaponiis sive Australiensibus impendent minae, quas illi, arma sibi comparantes, propulsare maturant.

*
* *

Regalia funera nulla alia attulit annus, quam Leopoldi, regis Belgarum, viri ferme praeclarissimo ingenio ditati, qui diurno regno rempublicam provexit adeo, ut Belgarum fortuna altius ascenderit nunquam. Albertus, nepos eius, regno iam est potitus, civium universorum unanimi plausu, qui miram mentis solleritiam una cum praeclaris domesticis virtutibus felici connubio praelucere in rege suo demirantur.

POPLICOLA.

PER ORBEM

Die xxii mens. Novembris MCMIX, Romae in catacumbis quinquagenarius annus ex quo S. Caeciliae crypta fidelium cultui restituta est, sollemniter commemoratur.

— d. xxiii, Monachii, fato concedit Norvegianus pictor Otho Sinding.

— d. xxv Danorum rex privatus Vindobonam tenet.

Budapestini, Aloisii Kossuth cadaver ad proprium mausoleum nuper erectum maxima pompa transfertur.

— d. xxvi Russorum senatus decreto mulieres iurisprudentia laurea honestatae ab agendis publice causis prohibentur.

— d. xxvii Schmend in oppido prima aëronavis apud Austros dirigibilis ad aëra tollitur.

— d. xxix Aloisius Maria e Borbonica gente princeps Nicaeae ad Varum vita fungitur.

Russorum Caesaris decreto supremum Finladiae tribunal militare ab officio suo discedit.

— d. xxx, Kreuth, Carolus Theodorus, Bavariae dux, vir scientiae amore inter omnes notus, moritur.

Die II mensis Decembris, Romae, administratorum collegium, praeside Giolitti, officium Italicae civitatis moderandae abdicat.

Augustae Taurinorum Ioannis Berchet, clari illius Italicae libertatis poetae, ossa in virorum illustrium coemeterium deportantur.

Genevae supremum obit diem Leo Massol, athenaei illius bacteriologiae doctor apud omnes populos maxime celebratus.

— d. iii, Romae, v de pace conventus inauguratur.

— d. iv Copenaghen in urbe vita fungitur Danorum princeps foemina Valdemaro.

— d. vi in Labraguensi aërodromo ad Antibum, Fernandez aviator ab aëroplano suo praecipitat misereque infringitur.

— d. viii Hermannus Kaulbach, Bavanicus pictor, Monachii obit.

— d. x novum Italicum administratorum collegium constituitur, praeside Sonnino.

— d. xiii Marconius, Italorum gloria ob inventum a se telegraphum filis expertem, Stocolmae in urbe, quam Nöbelium praemium accipiendi gratia petiit, magno populi plausu salutatur.

— d. xv, Brunswick in urbe, princeps qui supremi ducis nomine civiles res moderatur, uxorem dicit Elisabeth e gente Stolberg-Rossla.

— d. xvi Henricus Giglioli, vir inter Italos sapientissimus, ab hominibus demigrat.

Bernae, Helvetici foederis praeses in an. MCMX renunciatur Robertus Comtesse e regione Neuchatel.

— d. xvii Leupuldus alter, Belgarum rex, late defletus magnum animum expirat.

— d. xviii Cannes in oppido, Michael Michaelovic, Russorum magnus dux, perit.

— d. xix Olyssippone regni administrari omnes e muneribus suis recedunt.

— d. xxii Danorum sapientum collegium ad rem constitutum declarat, ex allatis sibi a Cook, borealium regionum exploratore, documentis, minime coniici posse ipsum arcticum polum attigisse.

— d. xxii Beiranus doctor Lusitanorum gubernio praeficitur.

— d. xxiii, Bruxellis, Albertus, mortui regis nepos ex fratre, Belgarum rerum potitur, suumque iusurandum publice emittit.

Ioannes Aicard, dramatum scriptor, inter « academicos immortales » Lutetiae Parisiorum cooperatur.

— d. xxiv, Herrin in oppido Civitatum foederatarum Americae Septentrionalis, carbonis fodina incenditur, pluresque cunicularii horrendam mortem oppentunt.

— d. xxv navalis Sinensium legatio Romam pervenit.

— d. xxvi a multis Hispaniae locis nuntius affertur ex inundationibus ingentia damna tum aedificiis tum agris procedere.

— d. xxix, Londini, centenaria fit passim commemoratio ab ortu Gladstonii, pubblicae rei viri illius peritissimi.

— d. xxxi Turcarum gubernio praeponitur Hakki Bey, civitatis suae apud Italos legatus.

LIBRORUM RECENSIO

P. ALBERS S. I. — *Enchiridion historiae ecclesiasticae universae ad recognitam et auctam editionem Nerlandicam alteram in Latinum sermonem versum.* — Tomus I. Aetas prima seu christiana antiquitas: annis 1-692. — Tomus II. Medio-aevum: annis 692-1517. — Tomus III. Nova tempora: annis 1517 - hodiernum diem. — (Romae edid. Desclée et soc., MCMIX).

Si, quanti liber aliquis sit faciens, ex eventu atque exitu coniici licet, hoc profecto *Enchiridion* omnibus prorsus numeris absolutum esse videtur; operis enim totius, quod Nerlandica lingua primum in lucem prodidit, non solum editio altera brevi confienda fuit, sed conversio quoque in Gallicum, Italicum, Hispanicum sermonem. At re quidem vera plurima ibi resident, quae in eiusdem generis libris iisque pervulgatis saepissime desiderantur; etenim cum rerum inest dispositio subtilis, tum ea potissimum pertractantur, quae ad interiora, aiunt, Ecclesiae incrementa pertinent, quaeque ad dogmatum, ad hierarchiae, ad haeresum rationem spectant. Ita fit, ut ex hoc velut armamentario haud mediocria tela depromi possint, quibus fallaces *moderni*

starum conclusiunculae captionesque discutiantur. Singulis autem capitibus eorum omnium nomina praetexta sunt, qui quid de quaere re insigne litteris mandarunt. Accedit index nominum et rerum, de quibus toto opere agitur, locupletissimus ille quidem atque ad usum optimus. Iis igitur praezerosim, qui theologiae dant operam, gratum acceptumque hoc tam praestabile opus fore pro certo habemus.

DE SANCTO ANSELMO, VARIA

Non alienum esse videtur eos nominatim persequi in commentario nostro scriptores, qui de Sancto Anselmo res memoratu dignas nuper ediderunt; octavo enim exeunte saeculo a sanctissimi eiusdemque doctissimi viri obitu, multa illius cum de moribus rebusque gestis tum de litteris praeceptisque praeclare scripta esse satis constat.

I. — P. ENRICO ROSA S. I. S. *Anselmo d'Aosta, Arcivescovo Cantuariense e dottore della Chiesa. Contributo storico alle feste dell'ottavo centenario.* (Libr. Edit. Fiorentina, Firenze, 1909).

Auctor, qua doctrina instructus est, in vitam praezerosim sancti Anselmi inquirit, cuius res optime gestas, ordine enarrat ornatque dicendo.

II. — Dott. VIGNA, *S. Anselmo educatore e maestro.* (Comm. *Scuola Cattolica*, mense Augusto, an. 1909).

Quam multa homines huius aetatis invenisse se gloriantur, quae iamdiu sancto Anselmo et ratione et usu penitus perspecta fuisse videmus!

III. — P. THÔNE. *L'argument ontologique.* (Comm. *Annales de philosophie chrétienne*, mense Iulio, an. 1909).

Caput hoc esse Anselmiana philosophiae neminem fugit.

— S. Anselmo e Rosmini. *La dimostrazione di Dio a priori.* (Comm. *Rivista Rosminiana*, an. III, n. VII et an. IV, n. II).

De magna illa, quam diximus, et salebrosa quaestione ibi etiam agitur.

IV. — C. DE BEAUPUY. *L'argument de Saint Anselme est « a posteriori ».* (Comm. *Revue de philosophie*, mense Februario, an. 1909).

Peracute quidem omnia hic scripta invenies; interdum tamen disputatione adhuc opus est.

V. — MARIO BRUSADELLI. *La filosofia di S. Anselmo* (Comm. *Rivista di filosofia neo-scolastica*, an. I, n. IV).

De nonnullis libris, ubi de sancti Anselmi philosophiae res est, iudicium et censura fit.

VI. — E. BUONAIUTI. *Un filosofo della contingenza del secolo XI. Roscellino di Compiègne.* (Comm. *Rivista storico-critica delle scienze teologiche*, mense Martio, an. 1908).

Quo in libro agitur etiam de controversia, quam Roscellinus cum sancto Anselmo habuit; sed ex auctoris sententia novae existunt quaestiones nonnullaque in eum animadvertisit I. M. DARIO S. I. in comm. *Etudes* (t. 120, die XV mens. Iulii, 1909).

VII. — P. AUGUSTINUS DANIELS O. S. B. *Quellenbeiträge und Untersuchungen zur Geschichte des Gottesbeweise im dreizehnten Jahrhundert mit besonderer Berücksichtigung des Arguments im Proslogion des III. Anselm.* (Comm. *Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, N. I-II, vol. VIII).

Opus sane et multi laboris et maximi momenti.
VIII. — S. Anselmo di Aosta. *Arcivescovo di Canterbury. Scritti vari pubblicati nell'VIII centenario della morte.* (Comm. *Rivista storica Benedettina*, an. IV, n. XV).

Hoc volumen multa multorum scripta complectitur, qui unum id omnes sequuntur, ut Anselmi vitae, animi, doctrinae imaginem adumbrent.

E. C.



AENIGMATA

a JOSEPHO WABNER proposita.

I.

Iam iam grandaevae tale est mirabile nomen,
Ut diçens retro rite nepos vocitet.

II.

Quae fluida est uvae pars est dulcissima semper;
Utramque in partem nomen idem remanet.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad D.rem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA opus, cui titulus :

TARCISIUS

ACTIO DRAMATICA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

Aenigmata an. XII, n. X proposita his respondent :

1) Do-la-re ; 2) Ventil-lator.

Ea rite soluta miserunt :

Petrus Tergestinus — Iac. Costa, *Dumio*. — Alois. Mommartz, *Vaals*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — T. T. Chave, *Chicago*. — Lud. Dubois, *Masilia*. — Alf. Martinez, *Badaicio*. — Maxim. Wronski, *Nova Wies Narodowa*. — I. M. Meunier, *Corbinaco*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — Vinc. Starace, *Neapoli*. — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum*. — Iac. Fernandez, *Mexico*. — F. Correa, *Emerita*. — Mart. Dunne, *Neo Eboraco*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Rich. Muller, *Berolino*.

Sortitus est praemium :

RICHARDUS MULLER,

ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus :

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

MONITA

Ob officiorum translationem atque novorum typorum pro VOCE URBIS commissorum adventum tardatum, fasciculus hic et fortasse qui sequetur secunda mensis parte prodibunt.

Spatio hodie deficiente, ad proximum numerum : PETRI ANGELINI, Brevium ad Principes a secretis, LAUDATIO IN OBITU LEOPOLDI II, BELGARUM REGIS. (Dixit ob iusta funebria coram Pontifice habita in Xystino sacello, d. XVII mens. Ianuarii MCMX). — DE SACRA THEOLOGIA, (Scripsit REGINALDUS FEI, athenei Friburgensis doctor. — COMMENTATIONES PHILOLOGICAE — CARMINA FR. XAV. REUSS. — COLLOQUIA LATINA — IOC — APPENDIX, etc.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Romanae Editricis.